


05 A 532

05
A
532



595
DIRECTORE SPIRITU SANCTO

I. DISPUTATIO

συσδολογική

eaque

I. GENERALIS

De

CAUSIS CONCILIO-
RUM EXTERNIS, EFFICIEN-
TE ET FINALI,

*In Electorali ad Albim Academiâ,
proposita*

AUTORE ac PRÆSIDE

JOHANNE FÖRSTERO
SS. Th. D. & Prof. Ordinario

Respondente

M. JOHANNE COTZIBUVIO
Magdeburgensi.

Ad diem 19. Septemb. horis locog̃ consuetis

VVITTEBERGÆ,

Ex officina Iohan. Gormanni

ANNO M. DC. XII.

•
•
•
•
•

VIRIS

*Magnificis, Amplissimis, Consultissimis,
Prudentiâ, Judio & Consiliis
præstantissimis,*

Dn.

CONSULIBUS, SYN-
DICO, CAMERARIIS, SENATORI-
bus, & tribunis plebis inclu-
tæ ac celeberrimæ Reipub. Imperialis
& liberæ Veteris MAGDE-
BURGÆ,

*Dn. Mecœnatibus, Patronis ac Fautoribus
animitus oculitusq; colendis,*

*Disputationem hanc ut debitæ
gratitudinis tesseram*

*Dicat ac
Consecrat*

M. Joannes Cotzibuvius Magdeb.




OS A 532

590

Eisod^G

Themation I.



Avides ὁιςερψαλτης, quo titulo à Basilio insignitur, Psalmo III. generatim de omnibus in universum operibus Divinis disertè & exerte pronuntiat, quòd sint magnifica & gloria.

II.

Idem sane speciatim transferri & accommodari potest ad Concilia ritè ac legitimè, in nomine Domini, congregata.

Concilio-
rum auto-
ritatis divi-

na.

Hæc enim & ipsa Deum autorem habent & Inventorem omnium primum atq; summum; id quod exemplo illius perpetui & longè augustissimi Synedrii in Palæstina abundè liquet.

Num. c. 11, 16. 25. Deut. 17, 8. & seq.

2. Paral. 19, 8. & seq. Ps. 122, 2. 3.

IV.

Ac proinde ejusmodi Concilia, juxta normam formamque Scripturæ instituta, verè sunt non humanae & naturali ratione excogitatae originis: sed planè divine.

V.

Et huc utiq; jure optimo referre licet Beatorum patrum à Bellarmino allata.

Mat. c. 18. Vbi fuerint duo aut tres congregati in nomine meo (συνηγόμενοι) illic ego in medio eorum sum.

Act. c. 15. Visum est SPIRITU SANCTO & nobis.

VI.

Quòd autem iste triarius & primipilus Sedis Antichristianæ τριάντα^G, isthæc Scripturæ Divinitus inspiratae oracula, etiam

A 2

iam

iam ad sua extendere audet cōventicula: id utiq; est λίαν μέ-
γα τούτη ἀπόχη ἀγημα.

lib. I. de Concil. 6. 3.

VII.

Confirmandum enim non affirmandum modò erat Jesuitæ;
eiusmodi Concilia, quale Tridentinum, & ejusdem corij quam
plurima, imò omnia, à Papa Καρλό-Λύκω congregata, fuisse le-
gitima & in nomine D O M I N I celebrata.

VIII.

Contrarium enim in aprico positum est, & tam clarum, quam
Sol, cum summo in meridie lucet.

IX.

Διάλογος. Verum ut id ipsum adhuc elucescat clarius, & Juventuti Theologiæ
innotescat plenius: tres generales συζητήσεις, speciali, de quatu-
or Synodis Oecumenicis, περὶ αὐτοῖς, præmittere allubefcit.

X.

In prima & secunda causas Conciliorum discutere, inq; his eo-
rum naturam & essentiam spectare fert animus; & quidem in hac
præsentî causas Conciliorum externas, efficientem & finalem: in pro-
ximè ab hac sequente causas eorundem internas, Materiam & finem,
contemplabimur.

XI.

In tertîâ, duo ζητήματα facilè classica quæq; reliquorum
omnium quasi compendia, accuratiuscule ventilanda sumemus:

Num Concilia errare possint.

An Concilium sit supra Papam.

Χάριν θεραπεύει τοῖς
έμοῖς πόνοις.

Διέξοδος C A U S A R U M C O N C I L I O R U M,
ad naturam & essentiam eorum in-
dagandam, directa.

XII.

Non minus sapienter quam eleganter dictum est à Philoso-
pho, lib. I. Post. Anal. c. 2.

Ἐπίσηδε βούτη έκαστον ἀπλῶς, ἀλλὰ μὴ τὸν
αὐτισμὸν τρόπον, τὸν κατὰ συμβεβηκός, ὅταν τῶν τοῦ

αἴθ-



αὐτίαν οἰώμεθα γνωστέων δι' λόγον πραγμάτων, οἷς ἐκεῖνα
αὐτία τῆς οὐρανής μηδὲν ἀλλαγὴν ἔχειν.

Et iterum lib. 2. Phys. c. 3.

εἰδένεις δὲ τὸν τοπέτερον οἰώμεθα ἔκαστον, περὶ αὐτοῦ λέγεται τὸ
Διαποτικόν, τοῦτο ἔκαστον.

XIII.

Ut igitur sciamus quid sint Concilia, per causas utiq; corum
natura & essentia nobis inquirenda venit.

XIV.

Et quia, secundum eundem chori Philosophorum Duceū,
τὰ εὐαγγεῖλα μάλιστα Φάίνεται: κατ' αὐτοπαράθεσιν
veræ Lutheranorum doctrinæ Iēsou hujusq; κατασκευὴν ubiq; priori
loco: posteriori false Bellarmini opinionis ἀντίθεσιν, hujusq; κατα-
σκευῆς αὐτασκευὴν proponemus.

I. DE CAUSA EFFICIENTE.

Thesis veræ doctrinæ Lu- theranorum.

XV.

Efficientis appellatione, in hac causâ, designantur personæ,
quibus jus vel potestas convocandi Synodum, jure divino, com-
petit.

XVI.

Quod ut distinctius & accuratiū enucleetur: probè distin-
guendum est, inter statum Ecclesiæ Novi Testamenti, quæ olim Chri-
stiano Magistratu destituta: & statum Ecclesiæ, quæ postea hodieq;
Christiano Magistratu constituta.

XVII.

Christiano Magistratu destituta fuit Ecclesia N. T. usq; ad Con-
stantinum Magnum, qui Christianam religionem amplexus circi-
ter A.C. 312.

XVIII.

Hoc ante tempus Synodos convocârunt Episcopi quivis,
nulla Romano Præsidi præ aliis relictâ υπερεγχεῖσι aut πειραῖσι,
imitati exemplum Apostolorum, de quo Act. c. 15.

A 3

Surre-

Surrexerunt autem quidam de factione Phariseorum, qui crediderant dicentes, quod oporteret circumcidere eos, ac præcipere, ut servarent legem Mosi. Conveneruntque Apostoli ac presbyteri usus despicerent de loco negocio.

XIX.

Christiano Magistratu constituta est Ecclesia ab illo Constantino Magni tempore, hodieque constituta apud nos in Romano Imperio floret.

XX.

Quo Ecclesiæ statu duplex causarum efficientium genus concurrit: Vnum causarum Principalium: alterum Adjuvantum.

XXI.

Causas Principales esse statuimus Magistratus, qui vel Supremus: vel Inferiores.

XXII.

Supremus Magistratus est Romanus Imperator, de quo verissimè verus DEI Propheta Lutherus, in loco à Jesuita allegato, Tomo, videlicet, VII. libro de Conciliis, ubi dicit:

Ideò vocari Concilia universalia, quia ab Universali omnium Domino Imperatore cogebantur. lib. I. de Conciliis c. II.

XXIII.

Inferiores Magistratus sunt Principes, & alii in eminentiâ constituti, quorum quisq; in suo gradu ac statu, Concilia particularia convocare potest; quemadmodum Imperator Synodum universalem sive Oecumenicam.

XXIV.

Cause Adjuvantes esse convenit, Episcopos sive antistites Ecclesiarum, qui in negocio isthoc religionem, adeoq; officium & professionem ipsorum spectante, in consilium adhibendi sunt,

Katæstheuη Θεοτοκος Lutheranorum.

XXV.

Tria probabantur a. bus singulis ordine.

sectionis
membra.
I.

E qua Γαυτυπωσι liquet, tria nobis confirmanda esse, de qui-

XXVI.

Primum est de supremo Magistratu, sive Romano Imperatore, cui soli jus & potestatem convocandi Synodum Oecumenicam competere: partim Exemplis: partim Rationibus irrefragabiliter demonstrare in proclivi est.

37. Exemp.



XXVII.

Exempla partim in *Sacra*: partim in *Ecclesiastica Historia* literis annotata extant. 1. Per exempla.

XXVIII.

In *Sacra Historia Veteris Testamenti* passim legere licet, quod Reges non secularium duntaxat: sed Ecclesiasticorum etiam hominum Concilia indixerint, & coegerint.

Moses Deut. c. 31, 1. & seq.

Josua c. 23, 1. & c. 24, 1. & seq.

Davides 1. Paral. c. 13, 1. c. 16, 4. & seq. c. 24, 2.

Salomon I. Reg. 8, 8.

Affa 2. Paral. 14, 3.

Josaphat 2. Paral. 17, 7.

Joas 2. Paral. 24, 5. & seq.

Ezechias 2. Paral. 30, 1. & seq.

Josias 2. Reg. 23, 1. & seq.

XXIX.

Quod si id facere licuit Regi unius provinciae, tum temporis, cum, ex Dei instituto, summi Pontificis, in negotiis Ecclesiasticis aliisq.; summa autoritas:

XXX.

Cur illud non multò magis competat universali totius Romanī Imperii Monarchæ, tempore Novi Testamenti, quo unicus & verus Pontifex Ecclesiæ suæ CHRISTUS nullum ei è mortalibus Pontificem præesse voluit, & præsertim hac tempestate, qua toti terrarum orbi innotuit: Papam Romanum purum & putum esse Antichristum?

XXXI.

Ex *Historia Ecclesiastica* liquet: Concilia, & præsertim illa quartuor Oecumenica, ab Imperatoribus Romanis omnia & singula fuisse cohvocata; id quod de unoquoq; speciatim probatum dabis, suo loco, in Disputationibus specialibus; ubi quoq; Exceptiunculas Bellarmini frigidas & frivolas diluemus.

XXXII.

Jam pedem protollimus ad *Rationes*, quarum I, quod Juris. 2. per Ratiōdictio, hujusq; actū imperandi & convocandi, nemini Pastorū ones, per se competunt, secundū illud πολυθεύλητον CHRISTI Luc. c. 22, 25, 26.

34. 2. Quia

XXXIV.

2. Quia Magistratus est providere, ut verbum Dei pure ac sine
cerere tradatur, pax & tranquillitas in Ecclesia conservetur, hæreses
& schismata quibus pax & tranquillitas ista turbatur: puritas do-
ctrinae vitiatur, ratione justa tollantur. *1. Tim. 6. 2, 3.*

XXXV.

Quam ad rem cum faciant etiam Concilia: palam est, quod
convocatio eorum Magistrati competit.

XXXVI.

3. Quia Magistratus autoritati omnes Christiani tenentur ob-
temperare *Rom. 6. 13, 1. 1. Pet. 2, 13. & 17.*

XXXVII.

Secundum, quod nobis probandum, est de *Magistratibus inferio-
ribus*, quorum quisq; idem juris in suo possidet territorio: quod
Magistratus supremus sive Imperator Romanus in Universo Im-
perio.

XXXVIII.

Et proin sicut se habet Romanus Imperator ad Concilia U-
niversalia: ita Magistratus inferiores se habent ad Concilia parti-
cularia.

XXXIX.

Quare dum jam modò evicimus: jus congregandi & indi-
cendi Concilia Universalia competere Romano Imperatori: eâ-
dem opera simul asseruimus, jus convocandi Concilia particularia
penes Magistratus inferiores residere.

X L.

Supereft tertium, de Episcopis & Ecclesiarum Antifitibus. Id
verò itidem & Exemplis & Rationibus Scripturæ confirmatum imus.

X LI.

Exempla. Inter Exempla, duo in primis familiam ducunt. Unum in ve-
teri: alterum in Novo Testamento.

X LII.

In Veteri Testamento huc quadrat, quod Amarias Pontifex, jus-
su & consilio Josaphati, perpetuo illi Synedrio Hierosolymitano
præstitutus.

2. Chron. c. 19, 11,

X LIII.

In Novo autem Testamento huc collimat *πρεπομην* sive legatio
Antiochenorum à Paulo ac Barnaba suscepta, celeriterq; obita.

Act. 6. 15, 2. 3. 4.

44. E R

299

XLIV.

ERationibus militant i. quod scientiam & legem ex ore Sacerdotis requiriere jubemur Malach. c. 2.

XLV.

2. Quia Ministrorum Ecclesiae est curare, ut ἡστύπωσις ὑγείανόντων λόγων sarta tecta custodiatur.

2. Tim. 1, 13. Tit. 1, 9.

Antithesis falsae doctrinæ Romanensium.

XLVI.

Romanenses potestatem & jus cogendi Concilia soli Papæ Romano in solidum vendicant; id quod eorum Praeco Bellarmius pleno ore ebuccinat

lib. I. de Conciliis. c. 12.

At de Concilio generali maxima controversia est; siquidem Catholicis munus convocandi Concilia generalia ad Romanum Pontificem propriè pertinere volunt, sicutamen, ut possit etiam aliis, Pontifice consentiente, Concilium indicere, quin etiam satis sit, si in dictio- nem factam, ipse postearat habeat & confirmet; at si nec ipse indicat Concilium, nec aliquis alias de ejus mandato, vel consensu, nec ipse saltem approbet inductionem: illud non Concilium: sed Conciliabulum fore.

Ανατκευὴ Κατασκευῆς ἀνθέσεως Romanensium.

XLVII.

Argumenta, pro sua hac sententia, septem adducit, quorum singulorum nervum incidi moræ & operæ premium fuerit. Refutatur VII.

XLVIII.

I. Concilia debent congregari in nomine CHRISTI, id est, auctoritate CHRISTI, Matth. c. 18, 20. quæ data Romanis Pontificibus Job. c. 21, 17.

XLIX.

Sed committitur petitio principii, in utroq; Scripturæ loco.

L.

Nam Matth. c. 18, 20. congregari in nomine CHRISTI, non idem omnino est, quod congregari auctoritate CHRISTI; siquidem etiam Pseudoprophetæ, quibus cum CHRISTO nihil commercii, hoc sensu, nomen DEI suis Ψευδῶν Φούτεῖαι prætendunt, teste ipso Jesuitâ, dum illum ipsum locum, pro sua Ψευδεμπλοκίᾳ, allegat, Matt. c. 7, 22.

B

SL. Sed

Argumenta
Romanensi-
um καὶ
σκευασ-
τὰ. I.

L I.

Sed phras̄ ista Matth. c. 18, 20. propriè designatur vera in Deum fiducia propter CHRISTUM.

L II.

In paragrapho enim proximè præcedenti agitur de gratiosâ precum exauditione, & mox κατ' αἰπελογίαν subjicitur: Ubi ENIM duo vel tres congregati, &c.

L III.

Ut verò gratiosa precum exauditio nobis obtingat: requiri-
tur fides in CHRISTUM, in quo omnes promissiones DEI sunt ita
& Amen 2. Cor. I.

L IV.

Id quod DOMINUS ipse eâdem phras̄ inculcat, (a) inter-
prete Marco, Joh. c. 16, 23.

(a) Cap. II, 24.

L V.

Ceterū in illo Iohannis c. 21. verbo pascendi DOMINUS non
concessit Petro, nedium Papæ, jus cogendi Concilia universalia,
quod dominii: sed jus pascendi, id est, docendi, quod est
ministerii, commune ceteris Apostolis cum Petro Matth. 28, 19. 20.

Bernhardus ad Eugenium Papam de Consid.

lib. 25.

Forma Apostolica hæc est: dominatio interdicitur: indicitur ministratio. Et quod Petrus non habuit, dare non potuit: sed dedit successoribus, quod babebat non primatum: sed solitudinem Ecclesiarum.

L VI.

II. Papa potest omnes cogere. Id verò & falsum est & impium.

L VII.

Falsum, quia contrarium testatur & experientia & fides historica.

L VIII.

Experientia pro se loquitur: Fide historicâ patet: nullum potuisse Concilium universale cogi & celebrari, antequam esset Imperator Christianus.

L IX.

Impium, quia talis potestas omnes cogendi nullo jure compe-
tit Papæ: quin signum est Antichristi infallibile.

2. Thes. 6. 2, 4.

III. Sicut

000

L X.

III. Sicut provincialia à Metropolitanis: & nationalia à Patriarchis: ita generalia congregari par est à Romano Pontifice, qui & primus inter Patriarchas: & insuper totius Orbis Christiani Princeps Ecclesiasticus. II.
L XI.

R. Laborat hæc Ratio: 1. petitione principii: 2. Ignoratione Elenchi.

L XII.

Petitio principii est, quod Papa sit Princeps Ecclesiasticus; imo ἀντίφασις εν αντικειμένῳ, arguente ipsomet (b) CHRISTO, & (c) Petro, quem pro primo Papa Papani venditant

(b) Luc. 6. 22, 25, 26. (c) I. Pet. 1. 5, 3.

L XIII.

Ignoratio Elenchi est, quia plus inferri nequit, quam Papam Romanum humano vel Pontificio potius jure, perinde ut ceteros Patriarchas, inter quos, (non ratione jurisdictionis: sed ordinis saltem) primus, posse indicere nationale Concilium ordinarium. Quid verò hoc ad scopum?

L XIV.

IV. In antiquissimo quodam canone statuitur, præter sententiam Romani Pontificis, non posse celebrari Concilia. IP.

L XV.

Respondeo. 1. per ἀρνησιν. Canon enim iste si Apostolicus, uti contendit Jesuita: haberetur utiq; vel in Scriptis Apostolicis: vel inter Canones, qui Apostolis vulgo tribui solent: Sed neq; hic neq; ibi extat: imo plane contrarium (d) utrobique habetur.

(d) I. Petr. 1. 5, 3. I. Tim. 1. 5, I. Canon. 35.

L XVI.

2. Per παρεμολογίαν. Licet enim ponatur Canonem esse Apostolicum: plus tamen ex eo evinci nequit: quam debere Pontificem Romanum, perinde ut ceteros Episcopos, Conciliis interesse, & κακλησίας νανοίζειν, id est, operam suam conferre ad Canones ex verbo Dei Ecclesiis præscribendos; quod iterum απέργσκοπον.

L XVII.

V. Dioscorus jussus fuit in Concilio Chalcedonensi non sedere inter Episcopos, quod Synodus fecisset absq; autoritate Romani Pontificis. Cui habetur simile quid in VII. Concilio generali.

B 2

68. Re-

LXVIII.

Respondeo de *utroq*, Concilio. In illo Dioscoro sessio inter Episcopos interdicta fuit, non simpliciter, ideo quod Synodus convocare ausus absq; auctoritate Romani Pontificis: Sed quia, ut reus, non uno nomine accusatus, & cui proinde inter judices locus minimè concedendus, sicut cernere est Tom. I, Concil. p. 741, 745.

LXIX.

Addè quod verba à Jesuita ex Actis illius Concilii allegata: non decreto quodam imibi approbata: sed à legato Pontificis Romani Lucentio nudè prolata.

LXX.

In hoc εἰνονολατρείᾳ fuit larcita, quam eandem ob causam illud meritò censemendum Antichristianum, ne dicam quod ei interfuerunt ii, qui ex Pontificiis partibus toti stabant, adversus Leonem Imperatorem, idolorum hostem acerrimum.

LXXI.

VI. In Concilio Romano IV. sub Symmacho, responderunt Episcopi omnes: à Papa non à Rege, debuisse convocari Synodum.

LXXII.

Respondeo bifariam I. per negationem consequentiae, siquidem testimonium illud suspectæ veritatis, propterea quod Episcopi isti adulatores Symmachi Papæ noluerint Regi Theodosio aliquid juris in se concedere. LXXIII.

2. Per inversionem. Quia enim Concilium illud convocatum à Rege Theodosio: vel hinc planum evadit: spectare id ad Magistratus Politicos.

LXXIV.

VII. Multi Pontifices, & Canones id testantur. Ergo.

LXXV.

Est in hac collectione duplex Paralogismus. Vnus testimonii plane illegitimi, in propria nempe causa, in qua nemo potest esse testis. LXXVI.

Alter ἐπεργητήσεως vel testimonii impertinentis. Id enim saltem ex testimoniosis illis elici potest: Pontifices de facto sibi jus convocandi Synodos arrogasse: Hic verò non de facto: sed de jure discepatur.

77. Quæ



LXXVII.

Quæ Jesuita de Valentiniano Imperatore isthic inspergit;
quod rogatus ab Episcopis; ut Synodum eis convocare permitte-
ret, responderit: *Mibi fas non est talia perscrutari: causæ ejus non pa-*
trocinantur: sed adversantur.

LXXVIII.

Hoc ipso enim facto Episcopi illi propalam testati sunt, ne-
gocium illud ad Imperatorem & non ad Papam pertinere. Alias
non Imperatorem: Sed Papam eo nomine adiissent.

Et tantum de Causa efficiente,

DE CAUSA FINALI.

Thesis veræ doctrinæ Lu-
theranorum.

LXXIX.

Causa finalis Conciliorum coincidit cum eorundem utilita-
tē, quæ multiplex, cuius gratia etiam Divinā autoritate in Veteri
olim Testamento instituta sunt, & eorum quædam in Novo etiam
ab Apostolis celebrata:

Act. c. 1. c. 6. c. 15.

LXXX.

Non tamen propterea simpliciter & absolutè ea sunt necessaria,
ad eo, ut Ecclesia illis omnino carere nequeat.

Kατασκευή thesēos Lutheranorum.

LXXXI.

Quod utilitatē habeant suam, ex institutione Divinā, indu-
bitatō liquet, Quicquid enim à D E O ordinatum: id utile & fru-
ctuosum sit necessum est *Sir. c. 43, 26.*

LXXXII.

Quod autem Concilia non absolutè necessaria sint, geminā *Geminā*
demonstramus ratione 1. ἀπαγγέλλεις τὸ ἀδυώατον hunc in modū: *atio.*

Si Concilia absolutè forent necessaria: consequens foret: majorem ef-
fectus autem Conciliorum, quam Scriptura.

Sed consequens est absurdum.

Ergo & antecedens.

B. 31

83. Ratio

LXXXIII.

Ratio τῆς ἀνολγθείας in Copulato manifesta est. Argueretur enim Scriptura quasi non sufficeret, hæresibus solidè refellendis, nisi, in supplementum quasi, accederet autoritas Conciliorum.

LXXXIV.

Absurditatem *Consequentis* evincit praxis Ecclesiæ N. T. in qua, primis trecentis annis, nulla Oecumenica Synodus celebrata: & tamen nihilominus plures hæretici à CHRISTO, Apostolis, & Patribus, absq; ullâ nullius Concilii autoritate, ex sola saltem Scripturâ, confutati & repressi fuerunt potentissimè.

e.g. Pharisei ac Saducæi *Ioh. c. 5. c. 8. c. 12. Matth. 22.*,

Hymenæus & Alexander *1. Tim. 1, 20.*

Phygellus & Hermogenes *2. Tim. I, 15.*

Philetus *2. Tim. 2, 17. &c.*

LXXXV.

2. Hac συλλογῇ εὐαλγθείτω: Si Concilia absolutè forent necessaria:

CHRISTUS utiq; earam celebrationem serio imperasset.

Atqui de hac re ne unicum quidem iusta; sive in Evangelica: sive Apostolica Novi Testamenti Scriptura.

Ergo,

LXXXVI.

Nervus *connexi* solidus est, dependetq; ab axiomate Theologico, quo, in rebus fidem ac religionem spectantibus, ea censentur factu & observatu necessaria, quæ divinitus mandata.

LXXXVII.

Assumptum per se patet. Nullum enim de Conciliis in Novo Testamento mandatum: Contrà passim in Utriusq; Instrumenti libris amandamur ad Scripturam.

Esa. c. 8, 20. Ioh. c. 5, 39. Matth. c. 22, 29.

Antithesis falsæ opinionis Romanensem.

LXXXVIII.

Quid Curia Romana, ejusq; rabula Bellarminus? Sic ipse lib. I. de Conciliis c. II.

Quamvis autem generalia Concilia, non sint absolusè necessaria: tamen Concilia aliqua, sive generalia, sive particularia sint, omnino necessaria

*cessaria esse ad bonam Ecclesiae gubernationem, vix in questione
revocari posse dubito.*

Ανασκευὴ Κατασκευῆς antithesēs Romanensium.

LXXXIX.

Affirmatum istud probat, ex eo, quod Concilia ordinaria media, quibus (e) scandala & (f) hæreses, quas venire & esse oporteat, tolli & damnari possint.

(e) Matth. c. 18. (f) I. Cor. II.

X C.

Quod ut ulterius astruat, fulcra affert quintuplicia, quorum
2. Promissio CHRISTI Matth. 18. Vbi tres, &c. R. ad 5. Ie.
suite fun-
damenta.

XCI.

Sed plus inde elici nequit, quam quosvis conventus, etiam duorum vel trium, in nomine CHRISTI institutos, posse sibi polliceri præsentiam ipsius gratiosam.

XCII.

2. Factum Apostolorum Act. c. 15. qui certè non ideo convenerunt Hierosolymis, ut demum controversiam de observatione legis definirent, sicut Jesuita quidem fingit. Jamdudum enim veram ea de re doctrinam constanter tradiderant. Sed alias ob causas, quæ literis annotatae.

Act. 15, & ad Gal. c. 2.

XCIII.

3. Consuetudo Ecclesie, cuius contrarium paulo ante ostendimus.

XCV.

4. Autoritas Patrum, & præsertim Cypriani, è cuius tamen testimonio nihil amplius constat, quam causas incidisse graves, ob quas necessum habuerit congregare Concilium particulare. Quid verò hoc *ωργὸς ναῦλον*?

XCV.

5. Praefatio Concilii Toletani XI. 'qua quidem commendatur Conciliorum utilitas, & ab hac dependens eorundem aliqualis necessitas: non autem necessitas absoluta, quasi scandala & hæreses aliis mediis & remediis tolli & damnari nequeant.'

Tom. II. Concil. p. 263. Col. I.

96. Ut.



Utpq; vanitas Jesuitæ hac etiam parte in oculos incurrat evidenterius: Colophonis loco adscribimus istum præfationis, quò digitum intendit Jesuita, paragraphum:

Hinc cernentibus, quomodo Babylonica confusionis olla succensa nunc tempora averteret Conciliorum, nunc sacerdos Domini de resolutis moribus irretiret: Purpurata enim meretricis sequebantur inclemencia, quia Ecclesiastici conventus non aderat disciplina, nec erat, qui errantium corrigeret partes, cum sermo divinus haberetur excessus. Et quia non erat adunatorum pontificum ulla præceptio, crescebat immunitis vita deteriorum.



DS A 532



ULB



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-638378-p0020-6

DFG

Farbkarte #13



B.I.G.

DIRECTORE SPIRITU SANCTO

I. DISPUTATIO

συνοδολογική
eaque

I. GENERALIS

De

**CAUSIS CONCILIO-
RUM EXTERNIS, EFFICIEN-
TE ET FINALI,**

*In Electorali ad Albim Academiam,
proposita*

AUTORE ac PRÆSIDE

**JOHANNE FÖRSTERO
SS. Th. D. & Prof. Ordinario**

Respondente

**M. JOHANNE COTZIBUVIO
Magdeburgensi.**

Ad diem 19. Septemb. horis locog̃ consuetis

VVITTEBERGÆ,

Ex officina Iohan. Gormanni

ANNO M. DC. XII.

